

suffragia ad damnum inferendum sufficientia jam prius emissa erant : nam conspiratione etiam in illa emittenda influxit.

3^o Ad restitutionem in simili casu etiam tenetur consentiens quotienscumque suffragia revocari possunt, donec suffragatio completa sit : quia damnum tunc nondum est illatum, cum pendeat non solum a prima prolatione suffragii, sed etiam a perseverantia in illo ; quare adhuc efficaciter in damnum influitur. (Lugo, disp. 19. n. 18)

4^o A restitutione non excusatur consentiens eo quod praeviderit sufficientia suffragia secutura esse ad damnum inferendum. Nihilominus enim damnum *reapse* infert. (Lugo, l. c. n. 19)

5^o Quando suffragia sunt irrevocabilia, consentiens, ex. gr. legi injustae sanciendae, peccat quidem contra justitiam, sed restitutione non tenetur, si ejus suffragio jam praecesserunt suffragia damno inferendo sufficientia. Ratio est eum, in hac hypothese, non esse causam efficacem damni quod jam illatum supponitur. (Lugo, l. c. n. 17) Hoc autem valet etiam quando suffragia secreto dantur, si forte constare potest jam suffragia sufficientia praecessisse. Exemplo sit qui inter 30 suffragatores vigesimus suffragium fert et postea, apertis suffragiis, certior fit duos tantum iniquae sententiae non consensisse : sic enim constat saltem 17 iniqua suffragia praecessisse ideoque damnum jam fuisse illatum quando suffragatus est. (Ball. P. n. 145)

6^o Non tenetur ad restituendum qui suffragium injustum efficaciter revocat, antequam damnum inferatur. Ratio patet.

7^o Nec teneretur ad restituendum qui suffragium dedisset in rem injustam, quando hoc esset unicum medium avertendi majus nocumentem. Cfr. n. 538. Hoc etiam prorsus licitum esse potest, ex. gr. deputatis, dummodo non agatur de re quae absolute sit intrinsecus mala, et protestatione declaretur ea quae minus recta sunt unice admitti ut pejora excludantur. (Lehmk. I. n. 800)

§ 4 DE PALPONE.

541. Palpo dicitur qui laude, adulatione vel exprobratione ignaviae, alium ad damnum tertio inferendum inducit.

Nullum est inter palponem et consulentem discrimen nisi quod ille consilium suum laude, adulatione et similibus motivis fulcit. Ideo ad restituendum iisdem sub condicionibus eademque amplitudine tenetur ac consulens. Adverte illum damnum verum inferre, etiamsi patratum jam est scelus, ubi praevidet laudes vel vituperia sua probabiliter causam fore ob quam damnificator principalis non restituat.

§ 5. DE RECURSU.

542. Recursum praebens seu receptans dicitur ille qui vel res furto sublatas recipit vel ipsi damnificatori refugium praebet, ita ut is propterea ad damnum inferendum juvetur vel saltem ad restitutionem faciendam non cogatur.

Si recipiuntur res alienae, contrahuntur obligationes quae possessori malae fidei incumbunt. Si ipse fur receptatur, reparandum est damnum quod ex illa cooperatione praevideatur probabiliter oriturum, ut dictum est de injusta damnificatione. Exemplo sint caupones qui pecuniam a filiisfamilias furto sublatam in compensationem expensarum prodigarum recipiunt vel iis qui furari solent in penetralibus suis locum tutum praebent e quo ad praedandum exeant. Ex ipsa definitione receptantis liquet hoc nomine non venire qui damnificatorem ex amicitia vel misericordia occultant ita ut poenas debitas non luat vel eidem, sine ullius damno probabiliter et determinate praevisto, alia ratione securitatem praestant.

§ 6. DE PARTICIPANTE.

543. Participans proprie dicitur qui, in ipsa actione injusta, principalem damnificatorem adjuvat. Interdum, sed minus proprie, hoc nomine etiam ille intellegitur qui partem rei alienae detinet : de quo manifestum est eadem valere quae de possessore malae fidei statuta sunt. Qui autem proprio sensu in damno inferendo partem habuit, regulariter tenetur ad compensandum illud damnum in quod cooperatione sua efficaciter influxit. Saepe tamen sat obscurum est quanta pars damni sit huic cooperationi tribuenda. Interdum totum damnum ipsi merito imputabitur, etiamsi per se solam insufficientis sit ad illud producendum, eo quod, conjuncta cum alia simili causa, determinat existentiam effectus quem, negato concursu, impedire potuisset, ex. gr. si quis adjuvat furem ad auferendam arcam quam neuter solus ferre posset. Saepius tamen, quando causa est de se insufficientis ad totum damnum inferendum, neque ex conspiratione agitur, cooperans tenebitur tantum ad partem, prudenti arbitrio, pro quantitate influxus, determinandam. (Ball. P. n. 158)

Interdum participans ab omni restitutione excusatur nempe quando cooperatio, materialiter ab ipso praestita, ob causam sufficientem, licita evadit. Quae exceptio ut intellegatur, hic inquiri solet quandonam liceat participare vel universe cooperari materialiter actioni qua alteri damnum infertur.

Distinguendum autem est inter participationem *immediatam* et *mediatam*. Priorem praestat qui cum altero ponit actionem qua jus tertii laeditur aut qua damnum tertio, nulla alia actione interposita, inferitur, ex. gr. januam domus cum fure effringendo. Posteriores praestat qui ponit actionem ex qua damnum tertio tantum per alterius malitiam sequitur, ex. gr. clavem januae domus furi tradendo. Jamvero de utraque hac participatione haec videntur tenenda :

544. I. De participatione mediata.

Haec licita est iisdem condicionibus quibus licet cooperatio materialis contra caritatem. Cfr. n. 235. Ideo, praeter bonam intentionem, requiritur : 1° Ut actus ponendus non sit intrinsece malus. — 2° Ut bonus effectus, puta liberatio cooperantis ab aliquo periculo, oriatur ex illa participatione aequae immediate ac pravus. — 3° Ut habeatur ratio proportionate gravis ad hanc damni causam ponendam. De gravitate autem illius rationis iudicium formandum erit fere sicut de causa ad cooperandum contra caritatem dictum est. Pensandum est nempe malum quod a negata cooperatione timetur cum damno injusto quod ex ea concessa praevideatur, et notandum strictius urgere justitiam quam caritatem. Sic lucrum ordinarium sufficit ut vendantur arma aliaque similia quibus aliqui damnum proximo inferre possint, dummodo nullum periculum determinatum praevideatur ; quod si praevideatur, ex. gr. quia emens insaniam vel ulciscendi cupidine abreptus apparet, talia ei sine causa gravi vendi nequeunt. Similiter licet, ad periculum mortis, vulnerationis et similia vitanda, apponere scalam furi, ei domus diripiendae viam indicare, etc. Ob minorem etiam causam talia licerent quando alii adessent qui hanc cooperationem facile praestarent. (Gury, I. n. 689)

II. De participatione immediata.

1° In *homicidio* numquam licet : quia innocentis occisio intrinsece mala est.

2° In *mutilatione* non licet, nisi cum abscissio unius membri ad corporis salutem necessaria est : nam, excepto hoc casu, mutilatio quoque est intrinsece mala. (n. 365)

3° In damno quod bonis fortunae inferitur licet, quotienscumque dominus rationabiliter invitus esse nequit. E communi autem sententia, hoc contingit tripliciter : a) si cooperans damnum, e cooperatione sua secuturum, vult ac potest reparare ; — b) si, negata cooperatione, damnum aequale nihilominus certo a principali damnificatore inferretur ; — c) si damnum quod dominus timet, leve est ; caritas enim non sinit eum velle ut alter propterea grave damnum patiatur. Probabiliter etiam licet huiusmodi participatio, quando timetur gravissimum damnum in bonis

quae sunt superioris ordinis quam bona fortunae, ex. gr. mutilatio, gravis infamia. Qui enim cooperationem sine tali damno negare nequit, in extrema necessitate versatur, in qua omnia fiunt communia : ideo quantum potest sumere ex iis bonis ut ex illa necessitate exeat, tantum damnum poterit, ob eandem rationem, alienis bonis inferre. Ita S. Alph. n. 571, cui tamen adversatur communis veterum, ut Lessii, Sanchez, Lugonis, etc. sententia. Hi enim opinabantur praesumi non posse domini consensum, eo quod nemo ad alterius vitam servandam grave damnum pati teneatur. Cfr. n. 502.

§ 7. DE COOPERATORIBUS NEGATIVIS.

545. Tres distinguuntur cooperatores negativi : *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*. De his simul dicetur, cum iisdem regulis subjaceant.

Mutus dicitur qui, antequam damnum inferatur, non loquitur, non monet, non impedit.

Non obstans ille est qui, dum damnum inferitur, non obstat vel non prohibet damnificationem.

Non manifestans ille est qui, damno jam illato, non denuntiat damnificatorem domino laeso vel Superiori.

ASSERTUM. Ut cooperatores negativi teneantur ad reparandum damnum quod non impediverint, sequentes condiciones requiruntur :

1^a Ut ad illud impediendum e contractu expresse vel tacite, puta per officii susceptionem, inito teneantur. Nam, dempto contractu, singuli ad impedienda aliorum damna ex sola caritate, non autem ex justitia commutativa obligantur : quippe quae jubeat tantum aliorum jura non violare. Quare nullo contractu obligati possunt interdum graviter peccare contra caritatem dum aliorum damna non impediunt, sed justitiam commutativam non laedunt.

2^a Ut non fuerint gravi incommodo proprio a contractu servando excusati. Regulariter enim qui contractum huiusmodi init vel officium suscipit, non intendit se ad res alienas custodiendas cum tanto incommodo obligare. Hinc :

a) Custodes nemorum, mercium, etc. tenentur ad compensanda damna rebus a se custodiendis illata, si ea, cum moraliter possent, non impediverunt vel damnificantes non denuntiarunt.

b) Vectigalium praepositi qui sinunt tributa fraudari, tenentur ad restituendum pretium quod a fraudantibus solvendum erat ; non debent tamen restituere pro muletis quae fraudantibus impositae fuissent si eos denuntiassent. Directe enim ex officio suo ordinantur ad tributa

exigenda, non autem ad Statum per lucrum poenarum locupletandum. (Lugo, disp. 37. n. 102)

c) Qui novit alium suo nomine abuti ad damnum inferendum, et tacet, sciens silentium suum animos addere damnificatori, ad restituendum tenetur : silentium enim ejus est causa damni. (Ball. P. n. 160)

546. QUAER. I. Num famuli teneantur ad reparanda damna domino illata quae culpabiliter non impediverunt vel non denuntiarunt.

RESP. 1° Tenentur ii qui se ad custodiendas res in quibus damnum patitur dominus, expresso vel tacito contractu obligarunt, puta si ipsis conceditur custodienda domus vel etiam ad breve tempus, committitur clavis cellae vinariae.

2° Reliqui, ex communi sententia, non tenentur, ubi damna ab aliis famulis vel personis domesticis illata sunt : nam non sunt censendi se ad onus tam odiosum obligare voluisse. (Lugo, disp. 19. n. 105)

3° Probabiliter etiam non tenentur quando damna ab extraneis illata sunt. Non clare enim apparet quare famuli, eo quod se domesticis servitiis addicunt, se etiam tam stricte *ex justitia* obligent ad bona domini contra extraneos tutanda. Ideo nutare videtur fundamentum cui Lessius, Lugo et plerique AA. obligationem restituendi superstruunt : nempe commune gentium jus quo famuli se ad hanc custodiam ex justitia obligent. Insuper, laxatis hodie quamplurimum vinculis quibus heri et famuli constringebantur, hi jam solent fere ad nihil aliud se obligare velle quam ad fideliter obeundum peculiare servitium ad quod conducuntur. Ita post Molina, Azor, etc., plerique recentiores, ut Ball. P. n. 161 ; D'Annib. II. n. 209 ; Marres, l. 2. n. 116.

QUAER. II. An ii qui aliis praesunt teneantur ad reparanda damna quae a subditis suis fieri non impediverint.

RESP. 1° Tenentur quando silent in talibus adjunctis ut subditi prudenter hoc silentium *tamquam positivam approbationem* habere possint. Sed tunc se habent ad modum positive cooperantis, nempe consentientis vel consentientis.

2° Tenentur etiam qui *ex justitia*, propter contractum expressum vel tacitum, obligantur ad aliorum damnum praecavendum. Sic herus qui opus aliquod perficiendum contractu suscepit, illudque deinde mandato operariis suis exsequendum committit, tenetur ad compensanda damna quae operarii operae conductori, in ipso opere exsequendo, inferunt, saltem ubi damnum illud e culpabili heri negligentia oritur. (Marres, n. 115)

3° Non tenentur probabiliter ii omnes qui aliis tantum *e pietate* invigilare debent, ut paterfamilias pro liberis et famulis, ludimagister pro alumnis, etc. Deest enim obligatio ex justitia commutativa ad damna aliorum impedienda. Verum iidem post judicis sententiam tenentur, etiam in conscientia, ad damnum reparandum, dummodo revera allatum fuerit et cum culpa ipsorum juridica. Lex enim justa est. Possunt tamen pretium a se erogatum ab ipso damni auctore repetere, quia leges intendunt favere damnificatis, non autem damnificantibus. (Marres, n. 114)

In Jure nostro (C. C. a. 1384), dominis imputantur damna ab eorum famulis vel mandatariis facta, etiamsi ea non potuerint impedire, quia, eligendo incapaces vel improbos, in se assumunt damna quae isti in officio suo exercendo inferre possunt.

547. QUAER. III. Num aliquis teneatur ad reparandum damnum illatum per animalia quorum dominium vel usum habeat.

RESP. 1° Ante judicis sententiam tenetur, quando gravi culpa theologica illis invigilare neglexit. Nam unusquisque tenetur ex justitia commutativa impedire ne per res suas, perinde ac per actiones suas, damnum aliis inferatur. Idem dicendum de damno illato per rem non animatam, puta si domus neglecta collabatur et transeuntes vulnerat, vel per puerum nondum rationis compotem.

2° Post judicis sententiam tenetur in conscientia, dummodo sententia errore facti non nitatur. Cfr. C. C. a. 1385 seqq.

QUAER. IV. Num teneatur ad restituendum qui, dum jure suffragii pollet, a suffragio ferendo abstinet, cum sententia damnosa a majore parte communitatis, societatis et similium fertur.

RESP. 1° Certe non tenetur quando jus suffragii ferendi ipsi in merum favorem et gratiam conceditur : nemo enim mero favore uti tenetur.

2° Nec videtur teneri quando datur idem jus in communem utilitatem potius quam in favorem privatum, etiam cum obligatione suffragii ferendi, dummodo nullus tacitus contractus initus fuerit suscipiendo officium cui haec obligatio annexa sit. Hujusmodi censendum est jus quod competit civibus, in plerisque Statibus hodiernis, designandi eos qui leges ferant vel communitatem aliamve regionis partem administrant. Cfr. n. 359.

3° Tenentur regulariter ii quibus jus suffragandi competit ex officio, in utilitatem etiam publicam gerendo : ii enim, suscipiendo hujusmodi officium, tacite se obligarunt ad negotia administranda et ad

causas dirimendas in communem utilitatem. Ideo tenentur ad compensanda omnia damna quae praeviderint suffragio suo efficaciter impediri posse. Non tenentur vero in duplici casu :

a) Si cum plena certitudine praevident tantum fore numerum eorum qui injustae sententiae vel legi calculum daturi sint, ut nulla sit spes eam efficaciter impediendi. Qua de re tamen scite monet Lugo (l. c. n. 68) cavendum esse ne quis, propter humanum timorem, sibi fingat praesentiam suam fore inutilem, " cum non raro contingat, quod ex unius sententia, ingenue et libere prolata in publico, multi moventur et sententiam etiam jam dictam mutant. „ Quod praesertim in minoribus conventibus, ex. gr. societatum commercialium vel industrialium, saepe usu venit.

b) Si justam causam absentiae seu legitimum impedimentum habent. Haec autem causa excusationis tanto major esse debet quanto majus malum ex absentia timetur. Quare qui norunt rem magni momenti tractatum iri et periculum esse ne absentia sua noceat, non poterunt nisi ex gravissima causa excusari. (Lugo, l. c. n. 67)

Hinc regulariter ad restituendum tenentur magistratus vel deputati, qui munus aliquod, puta administratoris, in aliqua societate privata suscipere ; iudices vel jurati qui communi calculo sententiam ferre debent, etc. quotiens absentia sua vel " abstentione „ moralis causa fuerunt damni reipublicae, religioni vel privatis illati.

QUAER. V. Num teneatur ad restitutionem erga dominum furto laesum qui a fure pecuniam accipit ad tacendum, neque ex officio ad furem denunciandum obligatur.

RESP. Non tenetur, dummodo res a fure data non sit furtiva, neque aliquid agat quo positive furi animum addat. Nam sicut is qui, nullo pretio accepto, denuntiationem omittit, contra solam caritatem peccat, ita qui, accepto hoc pretio, tacet, justitiam commutativam non laedit. (Lugo, disp. 19. n. 102)

§ 8. DE RESTITUTIONE IN SOLIDUM.

548. Obligatio restituendi in solidum, quae et solidaritas nuncupatur, est obligatio quae incumbit singulis cooperatoribus reparandi solidum seu integrum damnum quod a pluribus illatum est.

De hac obligatione tria praesertim consideranda veniunt : 1° Quibus cooperatoribus incumbat. 2° Quo ordine a singulis sit praestanda. 3° Quenam ab ea peragenda excusent.

I. Obligatio restitutionis in solidum determinatur hac regula : unumquemque teneri ad reparandum damnum cujus causa fuerit cum condicionibus n. 512 seqq. explicatis. Hinc sequitur neminem ad totum damnum reparandum obligari nisi aliqua ratione totius damni efficacem causam, sive physicam, sive moralem posuerit. Hoc autem contingit :

1° Quando cooperatores *e stricta conspiratione* agunt. Talis conspiratio *certo* habetur cum singuli ceteros efficaciter ad commune consilium, ex. gr. furtum patrandum, determinant, puta per suasiones, hortationes, etc. Multi etiam *opinantur* talem conspirationem, quae ad restitutionem in solidum obliget, adesse quotienscumque *individuum damnum* communi consilio a pluribus inferitur, ex. gr. incendere domum, navem in altum demergere, etc. Ratio eorum est quod etiam tum totus effectus moraliter e singulis procedit : siquidem, propter concursum, cooperatio singulorum cum actione ceterorum coalescit in actionem moraliter unam e qua damnum procedit. Nihilominus censent Lugo (disp. 19. n. 83) et S. Alph. (n. 579) probabilem esse sententiam quae, in hoc casu, cooperantes obligat tantum ad solvendam partem suam in damno quod sine ipsis etiam fieret. Affertur haec ratio : singuli tunc, sicut partialiter tantum concurrunt, partialiter tantum obligantur. Ut enim fatentur oppositae sententiae fautores : qui cum aliis infert damnum *dividuum*, ex. gr. vastando segetem, tenetur tantum ad partem suam ob partialitatem effectus in damno causato ; ergo, a pari, qui concurrat partialiter tantum ad damnum *individuum*, ob partialitatem influxus, partialiter tantum tenetur.

2° Quando actio illius de cujus obligatione quaeritur *sufficiens* fuit ad totum damnum sive immediate, sive mediate inferendum. Exemplo sunt qui mandato suo famulos ad furandum inducunt ; qui una cum sceleris socio, sclopetum explodens, hominem interimit ; qui socios quaerit ad rem furtivam asportandam, etc.

3° Quando actio cooperantis, quamvis sola sufficiens non fuerit, tamen *necessaria* fuit ad damnum inferendum. Exemplo sit in genere causae physicae, qui furem adjuvat ad asportandam arcam quam is solus asportare non potuisset ; in genere causae moralis, qui cum pluribus aliis convenit de inferendo damno quod isti, eo contradicente vel absente, inferre numquam ausi fuissent.

Si, e regulis supra positis, non constat cum morali certitudine de influxu cooperantis in totum damnum, is manet quidem obligatus ad reparandum damnum quod ipse intulit, ex. gr. ad compensandam partem segetis a se vastatam ; restitutio autem in solidum, utpote dubia, imponi nequit.

Ex iisdem regulis resolvi possunt sequentes casus :